

05

A

2161



F

D
PR

DM

AL



XCV.

D. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

PERPETUITATE
DEBITORUM PE-
CUNIARIORUM,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO,
AC DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE &c. &c.
IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,
S. REG. MAJ. BORUSS. CONSIL. & PROF. PUBL.

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni
submittit.*

ANDR. GEORGIUS HOFMANNUS,
Norimb.

Ad diem XX. Mart. M. DDC. VI.

H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS SALSFELDIANIS.

DISERTATIO JURIDICA
DE
RE
JURIS
CONSULTORUM




05. A. 2761

AL. DR. GEORGIIUS HOTTENANUS

MDCCXXV
L. G. C.

LEIPZIGIENSIS





C. D.

DE PERPETUITATE DE-
BITORUM PECUNIA-
RIORUM.

SUMMARIA.

*Perpetuitas à Jctis communiter erronee explicata. §. I.
Quid sit perpetuitas? §. II. De debitorum perpetui-
tate hic agendum, non de domino vel imperio. Hy-
pothetis de praescriptione imperiorum & dominiorum.
§. III. Cur non de debitis in genere, sed in specie de
pecuniariis simus solliciti. §. IV. An abstrahendo à
lege humana debita pecuniaria sint perpetua? §. V.
Nihil fieri à tempore, sed omnia fieri in tempore. §. VI.
Alia rationes cur debita pecuniaria sua natura sint per-
petua. §. VII. Objectiones contra perpetuitatem de-
bitorum pecuniariorum. §. VIII. Respondetur tam
ad oppositum interesse pacis communis. §. IX. & ne
lites sint immortales; §. X. Quam ad id, quod de
vexigentia creditorum coercenda affertur. §. XI.*

A

Nor-

Nondum constare, quod creditor cessans longissimo tem-
 pore exigere debitum, sit homo negligens, §. XII. Quin
 potius creditorem posse multis rationibus evitare incul-
 pationem negligentiae, §. XIII. aut saltem obtinere
 excusationem ab eadem, §. XIV. Praeprimis si cessa-
 tione interpellationis beneficium praestet debitori credi-
 tor, §. XV. Creditorem diutissimo tempore debita
 non exigentem, non credi propterea dereliquisse jus su-
 um, §. XVI. Imo nec debitorem hoc casu esse posses-
 sorem juris alieni, §. XVII. Derelictionis praesumptio-
 nem etiam excludi per detentionem chirographi & pote-
 statem debitum probandi §. XVIII. Moderatio haec-
 nus dictorum, §. XIX. ut non procedant, defici-
 ente probatione debiti, §. XX. etiam inter eos, qui
 superiorem non habent, §. XXI. Unde diuicissime
 duare poterunt, ceteris paribus, debita, chirographo
 debitoris confirmata, §. XXII. Contra citius expi-
 rabunt regulariter debita, per testes probanda, §.
 XXIII. Quid operenter in probatione debitorum te-
 stimonia mortuorum, §. XXIV. Perpetuitatem de-
 bit, pecuniar. etiam convenire iurigentium, §. XXV.
 atque apud Romanos adhuc in usu fuisse tempore Im-
 peratoris Constantii §. XXVI. Inventio praescri-
 ptionis tricennaria & vana persuasio aequitatis natura-
 lis, §. XXVII. Cui postea magna autoritas accessit,
 cum jus canonicum eandem approbasset, §. XXVIII.
 Secundum principia juris Germanici ignorata fuit pra-
 scriptio debitorum pecuniariorum, §. XXIX. Sed ea-
 dem tamen cum jure Canonico & Justiniano insinua-
 vis

vit se in fora Germania. §. XXX. Magis tamen quod nomen, quam cum effectu. §. XXXI. Historia controversia de requisito bona fidei in prescriptione tricennali. §. XXXII. Qua hypothese recepta, non datur amplius casus, quo, cum effectu debitis personalibus possit opponi prescriptio. §. XXXIII. Usus dictorum practicus maxime in controversiis Statuum imperii §. XXXIV. Non obstante, quod Principes in contractibus utantur jure privatorum. §. XXXV. Neque etiam Statibus imperii propter cessationem administrationis justitia posse opponi exceptionem prescriptionis. §. XXXVI.

§. I.



St juris tyronibus notus institutionum ^{Perpetuitate} titulus de perpetuis & temporalibus ^{à Jctis cons-} actionibus, sed paucis jura docentibus ^{munitur ex-} notum est, quid sit perpetua actio, dum ^{ronoe explic-} communiter Jcti actiones illas vo- ^{cata} cant perpetuas, quæ durant triginta

annos, cum tamen hæc explicatio & rationi (a) repugnet, & verbis Imperatoris. (b)

A 2

§. II.

(a) Qua ratione enim id perpetuum appellari posset, quod filitem triginta annos durat? Quod vero interpretes communiter hunc errorem erraverint, inde descendit, quod putaverint, jus naturæ posuisse hunc terminum actionibus quibusvis, de quo videbimus *infra* §. 28. Ita unus error parit alterum.

(b) Hoc loco admonendi sumus, inquit Imperator *pr. de perpet:*

65

§. II.

Quid sit per-
petuitas?

Igitur perpetuitas debitorum seu obligationum hic denotat durationem obligationis in debitore, & juris cogendi (c) in creditore, nullo tempore, ne quidem imme-

Et temp. act. eas quidem actiones, quae ex lege, Senatusconsulto, sive ex sacris constitutionibus proficiuntur perpetuo solere antiquitus competere, donec sacra constitutionis tam in rem quam in personam actionibus certos fines dederunt; eas vero, quae ex propria Praetoris jurisdictione pendent, plerumque intra annum vivere, nam et ipse Praetor intra annum emittit imperium. Hic initio diserte Justinianus perpetuitatem opponit finibus, quam actiones ex Constitutionibus Principum acceperint. At vero etiam fines triginta annorum ex Constitutione principum esse praescriptas, docet infra §. 28. Deinde ratio, cur Praetoriae actiones duarum saltem per annum, ostendit, perpetuitatem actionum civilium olim debuisse intelligi, ut nullo tempore finirentur. Si enim Praetoriae actiones ideo saltem annum durarunt, quia Praetoris intra annum erat imperium; nullo tempore debeant finire actiones civiles, quia videlicet legum, Senatus Consultorum, Constitutionum Principalium autoritas non erat temporaria, aut ad triginta saltem annos restricta. Neque enim populus & Senatus, legum & Senatus Consultorum auctores intereunt, aut imperium temporium habuerunt. Imo nec Principes in republica Monarchica tanquam capita republicae moriuntur, (etsi moriantur ut homines) nec imperium eorum temporarium est.

(c) Quod inter eos, qui superiorem agnoscunt, & ubi iustitiae administratio viget *alio* appellatur, inter eos autem, qui superiorem non habent, aut ubi iudicia cassant, *bellum* dicitur. (d)

immemoriali (d) definitam, donec obligationi satis fiat, vel ea alio modo legitimo (e) extinguatur. Quo pacto perspicuum est, perpetui & temporari voces his alto in sensu sumi, quam qui aliis (f) in mente fuit,

A 3

it,

(d) Tempus immemoriale dicitur, non quod nullum initium habuerit, sed quod de initio temporis non constet. Et tum iterum dicitur dupliciter, vel late, ubi de possessionis initio neque ex visu, vel auditu, neque etiam ex traditione aliorum jam mortuorum constat, vel stricte quatenus non tam de monumentis scriptis tanquam fidelissimo memoriae genere, sed de traditione auditionis à viventibus accipitur, uti jam apud Tullium *our. pro Rabir.* diserte sibi invicem opponuntur hominum memoria & notitia, quæ ex historiis petitur. Neutra significatio eadem est cum tempore centenario, quanquam hæc sæpe non longe abeant, ita ut immemoriale tempus in stricta significatione sæpe sit minus centenario, in lata sæpe majus. Vide pluribus Dn. Werlhof. *dissert. de præscript. inter gentes liberæ* §. 18. 19. 20. Hic sumimus tempus immemoriale in lata significatione, de duratione debitorum etiam per aliquod secula.

(e) Puto remissione debiti, acceptilatione, compensatione, novatione &c.

(f) Ita Pufend. *de J. N. & G. l. 3. c. 4. §. 7.* obligationem dividit in perpetuam & temporariam. Illam vocat, quæ tolli nequit, quamdiu existit persona, cui inhæret, ut obligatio congenita adversus Deum, cujus etiam exercitium nullo tempore suspendi possit, item obligatio adversus quoslibet homines, qua tales. Temporarias dicit esse, quæ tolli possunt vivis adhuc illis, quibus inhærent. Ita alibi *lib. 5. c. 11. §. 11.* de obligationibus tempore

it, unde diversi isti significatus non erunt confundendi.

§. III.

*De debito-
rum perpe-
tuitate hic
agendum,
non de domi-
nio vel impe-
rio. Hypo-
thesis de præ-
scriptione
Imperiorum
& dominio-
rum.*

Dum vero de perpetuitate debitorum acturi fu-
mus, patet, jam nos haudquaquam esse sollicitos, de per-
petuitate domini aut imperii, adeoq; nequaquam nobis
debere imputari, ac si, dum præscriptionem debitorum
pecuniariorum negaturi summus, etiam simul vellemus
negare præscriptionem dominiorum & imperiorum
(g) quin potius, uti hic initio præsupponimus, dari o-
mnino,

re expirantibus agit, quando scilicet duratio ejus à tem-
pore suspensa fuit, ut si dicam, nisi intra triennium pe-
tieris, nihil debebo. &c.

(g) Uti Juris Romani interpretes plerumque miscent fun-
damenta præscriptionis actionum realium & persona-
lium; ita & qui Jus Naturæ & Gentium tradunt, satisfac-
cisse se suo officio arbitrantur, dum de præscriptione &
usucapione agunt, si ostenderint fontes præscriptionis
intuitu dominii, & adeo de præscriptione crediti plane
tacent, vel quod putent, eam ex iisdem fontibus deri-
vari, vel ex alia, supina tamen, negligentia. Imo & im-
peri præscriptio fere unanimiter confunditur cum præ-
scriptione dominii, quasi res essent unius ejusdemque,
naturæ, cum tamen sint æque diversæ, si non magis, at-
que dominium & creditum. Imperium est in personas
id est in homines tantum, dominium in res personis op-
positas, i. e. hominibus contra distinctas, vel certe qua-
tenus homines non considerantur ut homines. Impe-
rium exercetur in actiones hominum externas dirigen-
das

mnino, etiamsi abstrahendo à lege humana, præscriptio.

das ad utilitatem vel communem, vel imperantis. Dominium vero afficit rei substantiam, & consistit in potestate de re disponendi pro lubitu, sive utendi, sive abutendi, sive perdendi, sive alienandi. Ex his fuit alia notabilis differentia, dominium abstrahendo a lege humana non amitti, nisi volente & consentiente domino. At imperium amitti potest variis modis, etiam invito imperante, vel ex parte imperantis, si ipse etiam invitus, subjiciatur alieno imperio, aut si incurabili morbo, vel infania laboret, si vires animi, corporis, & fortunæ, quæ ad exercitium imperii necessario requiruntur, sic deficient, ut spes nulla adsit recuperationis, &c. vel ex parte subjecti, sic directore imperantis non habeat opus, ut in societate paterna; vel ex parte negotii, si talia mandet, quæ evidenter noxia sunt subjecto, in societate videlicet, quæ communis utilitatis gratia initur, & si imperium non sit summum &c. Hæc verò dum communiter non solent attendi, multa docentur in disciplina juris naturalis, circa doctrinam imperii, quæ prima fronte videntur nullum habere dubium re tamen attentius considerata ita firma non sunt, quia videlicet magis ex natura domini, quam imperii sunt deducta. Tales sunt multæ assertionis de alienabilitate regnorum, & ipsa distinctio Grotii eum in finem inventa, inter regna patrimonialia, & usufructuaria. Rem ipsam prolixius discutere hujus loci non est, vide interim illustr. Dn. Coccej. *dissert. de testamento principis part. 2. §. 16. 17.* Fuere tamen ista hic in genere apponenda ad intelligendam aliquo modo hypothesein nostram de præscriptione imperiorum, vide *lit. n.*

(b) Sunt

ptionem dominiorum, & imperiorum (b) eamque non
in

(b) Sunt enim qui negant hoc. Sed hi iterum duplicis generis, alii & rem negant & nomen; alii nomen magis & conceptum impugnant, non rem ipsam. Prius faciunt scriptores Gallici ad stabiliendam inanem & obsoletam prætionem Regis Galliarum in imperium Romanum. Puteanus, Aubertus, & alii. Quos solide refutavit academia Julia ornamentum Johannes Werlhofius in erudita dissertatione jam citata *de præscriptione inter gentes libera edita 1696*. Adde Adami Cortrei Jcti consummati *observata ad art. 4. pacis, Rysovic*. Posteriorem sententiam defendere voluit Johannes Fridericus Hornius *de civitate lib. 2. c. 9. n. 10. & 11.* concedens pristinum regni possessorem non habere jus vindicandi seignum ab altero actu possessum, negans tamen præscriptionem acquiri imperium. Etsi vero non diffiteatur, doctrinam hanc Hornii parum coherere, prout jam ostendit ejus commentator Achilles Epsteinus, non diffidendum tamen est, quod, si accurate velimus loqui, præscriptionis nomen, & usucapionis, quo Grotius, & post eum communiter alii utuntur, vix convenire acquisitioni regnorum per possessionem diuturnam, aut plane immemorabilem. Est utique terminus præscriptionis & usucapionis inventum juris Romani, denotans, sive jura antiqua, sive jus novum Justinianum consideres, acquisitionem, quæ sit invito domino pristino, & quæ eum in finem varia requisita, bonæ fidei, justitiam, & similia supponit, sine quibus præscriptio, vel usucapio non subsistit. At acquisitione regnorum diu possessorum uti per modo dicenda solum fundatur in derelictione tacita vel præsumpta, adeoque nec bonam fidem, nec justum titulum primæ possessionis.

in jure gentium voluntario, (2) sed in sola derelictione prio-

sessionis requirit; ita nomen præscriptionis, & usucapionis, quomodo ei conveniat, non apparet. Interim in verbis simus faciles, modo conveniamus in re ipsa.

- (2) Si per jus gentium intelligas mores gentium subinde variantes, jus licentiæ inducentes, seu ut in scholis loquimur, jus gentium permissivum, concedimus dari jus gentium voluntarium. At si per jus gentium intelligas præcepta immutabilia, aut jus gentium præceptivum, quo violato justa belli causa oriatur, jus gentium voluntarium & humanum à jure naturæ distinctum nullum est, conf. Dn. Præsid. *dissert. de jure consuetudinis & observantia*, item ejus *fundamenta juris naturæ & gentium c. 5. §. 65. seqq.* Præscriptionem regnorum aut dominiorum inter gentes quod concernit, nimis diffidit bonæ causæ magnus Grotius, dum, postquam justiciam præscriptionis erudite ex præsumta derelictione deduxerat, quasi vacillans ista subdit: *Fortè non improbabiler dici potest, non esse hanc rem in sola præsumptione positam, sed jure gentium voluntario inductam hanc legem, ut possessio memoriam excedens, non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata, omnino dominium transferret. Credibile est enim in id concessisse gentes, cum ad pacem communem id vel maxime interesset.* Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. 4. §. 9.* Nam initio *credibilitas illa & præsumtio parum differunt.* Et si priorem illam præsumptionem derelinquas, plura habebunt oppugnatores præscriptionis, quæ posteriori illi præsumptione seu credibilitati cum majori applausu opponere valeant. Multo magis mirandum, quod illustis Puffendorfius, parum alias juri gentium voluntario favens, (*vid. de J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 23.*) in doctrina tamen de præscri-

B

ptione

prioris domini, intuitu domini (k) aut etiam insuper
(l) in

ptione intergentes cum Grotio ad consensum gentium provocet, eumque appendicem esse velit, & consecrarium domini rerum, quasi cum dominia rerum distinguerentur, pacis quoque causæ placuerit, ut diuturna possessione utens, bona fide tamen, ferotinum possessorem repellere possit &c. *lib. 4. c. 12. §. 7. & 9.* Ubi enim & quando gentes convenerunt, dominiorum distinguentium causa? quæ conjecturæ sunt, ut præsumatur gentes, etiamsi maxime convenissent, talem adjecisse appendicem? Etsi enim pacis causa hæc svadeat, oblitus tamen est Pufendorfius eorum, quæ paulo ante (§. 8.) Grotio in non multum abfimili assertionem opposuerat, simplex videri, quod quis de pietate mortalium tam prolixè sibi polliceatur. &c.

(k) Totum negotium hujus assertionis breviter in summam contraho. Qui scit rem suam ab alio sive b. f. possessore, sive m. f. aut etiam prædone, tanquam suam possideri, & eam non aufert, cum commode possit, aut salutem ejus factò non contradicit, sed patitur, eum quiete possidere, & tacet, is præsumitur, rem suam derelinquere voluisse, quia nemo sanæ mentis hæc facit, si rem derelinquere nolit, nisi forte metus mali majoris eum deterreat. At cum potentia rerum humanarum sit instabilis & varians, non poterit talis metus durare per tempus immemorabile, ergo necesse est, regna quæ immemorabili tempore sunt possessa, fuisse derelicta, quamquam vice versa regna & dominia sic derelicta non semper debeant esse immemorabili tempore possessa.

(l) Dico

(l) in natura imperii, intuitu hujus juris (m) esse fundatam; ita infra (n) evidenter ostendemus differentiam inter præscriptionem domini & crediti.

§. IV.

Quod vero debitorum pecuniariorum & non in genere actionum personalium fecerim mentionem, non ideo factum, quod alias actiones personales omnes excludere velim, (o) sed quod perpetuitas debitorum

Cur non de debitis in genere sed in specie de pecuniariis sumus solliciti.

B 2

(l) Dico *insuper*. Etsi enim notaverim lit g. dominium & imperium esse distinctissima, quia tamen sæpe sunt conjuncta, ubi videlicet imperantes simul sunt domini territoriorum, ideo etiam in præscriptione ejusmodi imperiorum non seponendæ sunt rationes, quæ in præscriptione dominiorum obtinent.

(m) Scilicet, si imperans amittat omnes vires regendi, ita ut nullam habeat spem probabilem recuperandi imperium per dicta lit. g.

(n) *Infra S. 9. & 16.*

(o) Scil. respiciendum hic est ad circumstantias & naturam rerum, quæ debentur. Pecunia, tanquam mensura rerum omnium, quibus homines utuntur, semper creditori usu esse potest, non ita reliqua semper, quæ promittuntur, sive sint res, sive mera facta. Promisisti, quod velis me ægrotantem curare, mihi, cum adversario litiganti, patrocinium præstare, ædium usum ad habitandum concedere, nunc vero, postquam fidem fefellisti, sanitati restitutus sum, processus cum adversario est finitus, ædes proprias acquisivi. Hic res ostendit, obligationem tuam non esse perpetuam, non quod tempore fuerit extincta, sed circumstantiis aliis in tempore contingentibus.

(Unde

torum pecuniariorum sit magis evidens & universalis, eum in reliquis debitis nonnulla sint, quæ ex natura negotii etiam abstrahendo à lege humana, sensibili temporis lapsu videantur expirare, (p) & prævit nobis in hac cautela imperator Constantius. (q)

§. V.

An abstrahendo à lege humana debita pecuniaria sint perpetua? Ut vero ordine rem tractemus, videndum ante omnia, an abstrahendo à lege humana debita pecuniaria in perpetuum durent, ut nulla, nequidem longissimi, & immemorialis temporis præscriptione tollantur? Cum autem jam supra (n) notaverimus, præscriptionis

(Unde etiam leges Romanæ; nec hæ solum, sed ipsa naturalis æquitas, creditori indulget loco actionis ex promisso, actionem ad interesse. Quæ adeo & ipsa ob eandem rationes, quibus perpetuitatem debitoris pecuniariorum adstruimus, erit perpetua.) At si v. g. mihi fundum, territorium &c. vendideris, æqualis erit durabilitas & perpetuitas obligationis ad dandam rem venditam, atque obligationis ad solvendum pretium, iterum ex identitate rationum.

(p) Ut in actione redhibitoria, & quanti minoris, & forte in omnibus rescissionibus negotiorum & restitutionibus.

(q) *L. 2. cod. Theodos. de Long. temp. prescript. l. 4. tit. 13. verbis: cum actio personalis & iterum: quamvis actio pecunia postulatæ &c.* Verba integra legis dabimus *infr.* §. 27.

(r) *Supra ad S. 3. lit. b.*

(s) Ita

nis terminum inter eos, qui jure humano haud utuntur, non perspicue exprimere rem quæ significari debet distincte hic respondendum erit.

§. VI.

Tempus ipsum, si solum sit, non est modus, nec finiendi juris cujuscunque, (s) nec acquirendi (t) etiam, ergo nec finiendæ obligationis, ergo nec debiti pecuniarii. Nihil fit à tempore, quamvis nihil non fiat in tempore (u) sed propterea tamen, & quia omnia

Nihil fieri à tempore sed omnia fieri in tempore.

B. 3

(s) Ita & in præscriptione dominii fit. Nam sive præscriptionem consideres quatenus est juris civilis bona fides, justus titulus, continuata nec interrupta possessio, qualitas rei, pleraque operantur, sive eam, quam diximus obtinere inter gentes, amissio dominii, non tempori, sed derelictioni tacitæ alterius adscribenda.

(t) Quæ ut plurimum conjuncta est, cum amissione juris alieni. Æque enim in moralibus ac in naturalibus observare licet, quod corruptio unius sit generatio alterius.

(u) Grotius l. 2. c. 4. §. 1. quem, quia ejus locus nobis se statim offerebat, in gratiam eorum, qui ab autoritate aliena magis pendent, quam à ratione & sensu communi, hic nolimus omittere. Alias ista assertio vera est, etiamsi Grotius non dixisset, & antequam dixerat. Igitur, si talia allegata in sequentibus non exacte observata deprehendes, circa ea quæ forte pariter in Grotio, Pufendorfio, & aliis extant, cogitabis, ea non fuisse omissa, quod plagium literarium committere velimus, sed, quod in rebus à sensu communi dependentibus, easdem cogitationes habuerimus, quæ alii, quodque pariter exoptemus lectorem sensu suo utentem.

(*) Huc

omnia in tempore fiunt, tempus ejusque lapsus non nimis negligenda sunt, nec mimis adeo subtiliter regulæ, quod tempus non sit modus finiendæ obligationis in hærendum est, (x) si videlicet adsint aliæ circumstantiæ
 esse.

(x) Huc pertinet subtilitas juris Romani. Paulus l. 44. §. 1. de oblig. & act. Placet ad tempus obligationem constitui non posse, non magis quam legatum. Nam quod alicui deberi cœpit, certis modis desinit deberi. Plane post tempus stipulator, vel pacti conventi, vel doli mali exceptione submoveri potest. Similiter Julianus l. 56, §. 3. de v. o. Qui ita stipulatur: *derem, quoad vivam, dari spontes, hæres ejus exceptione pacti conventi submovendus est.* Quemadmodum is, qui usque in calendas dari stipulatur, potest quidem etiam post calendas petere, sed exceptione pacti submovetur. Nam & hæres ejus, cui servitus prædii ita concessa est, ut, quoad viveret, jus eundi haberet, pacti conventi exceptione submovebitur. Quam subtilitatem etiam Tribonianus Institutionibus inferuit. §. 3. de V. O. Vides insuper Paulum nullam facere differentiam inter stipulationem & legatum, contra tamen Ponponius Paulo diferte contradicit, l. 16. §. 1. de V. O. *Stipulatio hujusmodi in annos singulos una est, & incerta & perpetua, non quemadmodum simile legatum morte legatarii finiretur, quam etiam distinctionem communiter retinent interpretes Institutionum, allaborantes, ut differentiam legatorum & stipulationum magis reddant perspicuam. Vide Huberi prælect. ad instit. de V. O. Interim ea cura non tollit antinomiam. Et quicquid dicant, nulla ratio genuina afferri potest, quasi ex natura negotii stipulatio talis perpetuetur. Facultas inquirunt, quæ plene perfecteque nobis competit, qualis est ea, quæ ex contractu nascitur, non potest esse*
 temp.

temporalis, quia tum plena & perfecta esse desineret. Quasi scilicet non possit esse plena & perfecta obligatio, intuitu eorum, quæ intra illud tempus pacto adjectum debentur. Et si natura rei in omni obligatione perpetuitatem postularet, non potuisset dari exceptio doli mali. Hinc & parum constant sibi, qui ea Philosophia utuntur. Sequitur enim statim; *Loquimur de ejusmodi contractibus, in quibus id agitur, ut aliquid juris perfecti ab altero in alterum transmittatur, nam aliqui multos contractus temporali conventionione constare, manifestum est, ut commodatum, depositum, pignus, locatio & similes; verum in his nihil juris absoluti transferre volunt contrahentes. De prioribus igitur verum est, obligationem certis finitisque modis tolli, quos inter tempus non numeratur &c.* Hic initio dura & contorta est significatio juris perfecti, quod alias nota characteristicam in jure Romano contractuum, quatenus à pactis secernuntur, esse solet; Deinde non sentiunt, qui sic philosophantur, quod hæc ultima ratiocinatio tollat priorem. Si enim ideo commodatum, depositum, pignus, locatio, & similes contractus non sunt perpetui, quia in illis nihil juris absoluti transferre voluerunt contrahentes, etiam stipulatio de decem, quoad vivam, vel usque ad calendas, erit temporaria ex voluntate contrahentium, scilicet, in his omnibus, tempus per se non est causa finiendæ obligationis, sed accedens illa circumstantia voluntatis contrahentium, quæ dat formam contractibus. Ergo ista doctrina juris Romani non aliunde est deducenda, quam exinde, quod deducerent istam perpetuitatis ademptionem in illis negotiis ex pacto adjecto; hinc etiam dabant exceptionem pacti. Pacta vero, quia non producebant actionem apud Romanos, ideo nec tollere poterant ipso jure. Quæ subtilitas cum Germanis perpetuo fuerit incognita, utpote apud quos omnes conventiones seriæ, & olim actio-

nes

effectus juridicos in tempore finientes, vel à tempore suspendentes. Omnia enim, ut rursus proverbium est, maturantur à tempore.

§. VII.

*Alia ratio-
nes, cur de-
bita pecunia-
ria sua na-
tura sint per-
petua.*

Deinde jus ex consensu ortum, nemini invito auferri potest ab altero, qui prius in id consenserat. Hinc nemo faciendo contra obligationem, eo ipso se eximit obligationi (y) sed moram facit, ejusque interesse alteri præstare tenetur. Igitur mora cum jure naturæ augeat quotidie morosorum debitorum obligationem, non poterit ea uno momento naturam suam mutare, & in uno illo momento obligationem debitoris, & augmenta ejus, quæ hæcenus addiderat, rursus destruere.

§. VIII.

*Objectiones
contra per-
petuitatem
debitorum
pecuniario-
rum.*

Neque adeo quicquam hic proficeret, qui cantilena vulgari uti vellet, qua uti solent, qui præscriptionem dominii ex jure quodam gentium voluntario amant, deducere. Interest, inquit, (z) ut pax generis huma-

nes produxere, & hodiernum producant, inde & nunquam eam juris Romani conclusionem receperunt. Quare cum hanc subtilitatem jure meritoque notasset Cyprianus Regnerus in censura Belgica ad §. 3. inst. de V. O. injusta & cavillatoria nota est, quam ei propterea Paulus Voetius in Comment. ad d. §. 3. inussit: quod patebit cuilibet, utriusque loca inspicienti.

(y) Utitur hoc axioma etiam Grotius l. 3. c. 20. §. 38. quamvis aliam inde conclusionem deducat.

(z) Ex loco Grotiano supra ad th. 3. lit. i. descripto conf. dicta à Pufen-

humani conservetur, ut lites non sint immortales, adeoque necesse est, debita aliquo tempore etiam inter eos, qui solo jure naturæ reguntur, extinguere. Nam haud dubie, hoc supposito, turbaret generis humani pacem, qui post immemorabile tempus litem alteri faceret de debito, vetustate sua absoleto. Adde quod oporteat insigniter esse negligentem, qui tanto temporis spatio jus suum non persequitur. Interest autem humani generis, ut hominibus excutiat talis negligentia supina, cum qui in rebus suis ita negligens est, non aptus sit ad pacem communem vigilanti benevolentia & amica industria colendam. Adeoque indignus est ejusmodi homo negligens, qui post tantum tempus audiatur.

§. IX.

Hæc uti in deducenda usucapione domini à jure Civili introducta usum non præstant nullum, (a) ita in præsentis negotio eorum insufficientia absque ulla difficultate palpabiliter poterit ostendi. Quid enim? si generis humani interest, ut pax in commune conservetur, ut lites non sint immortales; interest etiam, ut fides data servetur, ut non irritetur malitia morosorum debitorum, ut justitia fiat, & ut cuilibet jus suum persequi liceat. Si enim ista non concedantur, quomodo pacem humani generis saltem concipere

*Respondetur
tam ad op-
positum in-
teresse pacis
communis.*

C

pote-

*Pufendorfio de causis introductæ usucapionis de J. N. & Gent.
lib. 4. c. 12. §. 5. 6.*

(a) *Vide Pufend. d. §. 6.*

(b) *Qui*

poteris? At vero hæc omnia corruunt, si ei, qui fidem datam non servavit, concedatur exceptio præscriptionis, adversus creditorem suum.

§. X.

*Et ne lites
sint immor-
tales;*

Deinde demus, valde & præprimis interessè humani generis, ne lites sint immortales. Propterea tamen non apte dicitur, creditorem turbare pacem humani generis, qui id petit, quod sibi debetur. Potius ille turbat, qui non solvit, quod debet. (b) Causa immortalitatis litium est morosus debitor; si enim solvisset, quod debuit, lis fuisset extincta. Qui jure suo utitur, nemini facit injuriam, tantum abest, ut improbi litigatoris aut turbatoris pacis communis nomen mereatur.

§. XI.

*Quam ad
id, quod de
negligentia
creditorum
coercenda
affertur.*

Porro quod de negligentia creditoris affertur, tamdiu debitum non petentis, ad eos, qui nulla iuris Civilis communiione utuntur, applicari plane nequit. Pone, creditorem esse insigniter negligentem. Quid de debitore dicas insigniter malitioso? An magis punienda innocens negligentia creditoris, quam noxia malitia debitoris? An dum punitur negligentia creditoris amissione debiti, simul præmio ornanda creditoris

(b) Qui creditores post longissimum tempus debita petentes inculpant, ac si pacem generis humani turbent, obli- ti sunt fabulæ Æsopicæ de lupo, agnum in inferiori fluminis parte aquam sorbentem, accusante, quod ipsi aquam turbasset.

(c) Vide

toris malitia, ut ex ea lucrum debiti quærat? sed fac, debitorem non ex malitia distulisse solutionem, non tamen excusari potest à negligentia. Postulat enim caput de fide data servanda, & solvendis debitis, non, quod creditor debeat quærere debitorem, sed quod debitor debeat creditori offerre & afferre debitum. Quod si id non faciat, sane minimum à negligentia inculpatione liberari nequit debitor. Cur igitur, si maxime negligentia coercenda est, non æque, aut potius, cur non magis coerceretur negligentia debitoris, quam creditoris, & cur adeo secundum illam objectionem solum creditoris negligentia foret coercenda, & debitoris negligentia suppeditata exceptione præscriptionis foret irritanda? Præprimis cum creditor versetur in damno evitando, debitor in lucro captando. At lucrum captantis, secundum omnia jura ratione fundata, conditio semper deterior est, quam damnum vitantis. Adde, quod inter pares, qui superiorem non habent, jus pœnæ, aut coercionis, pœnæ instar secum ferentis, plane non habeat locum, sed proprium sit societati, in qua est summum Imperium.

§. XII.

Præterea nondum probatum est, quod intermissio petitionis debitorum pecuniariorum, abstrahendo à lege humana, sit negligentia. Negligentia est omisio diligentia debita. At ubi id lex humana non jubet, in principio quæstionis est, utrum debeam intra centum tempus pecuniam mihi debitam petere? Quænam enim est illa regula æquitatis naturalis, quæ

*Nondum
constare,
quod credi-
tor cessans
longissimo
tempore exi-
gere debi-
tum, sit ho-
eam mo negligens*

eam diligentiam mihi præscribit? Sane nemo ullo jure adigitur, etiam si certum tempus in conventionem positum fuerit, quo elapso debitor solvere debeat, ut eo cessante debitorem interpellet, sed dies interpellat pro homine, aut, ut eo cessante, hodie, cras, intra octiduum, intra mensem, intra annum, biennium &c. agat, sed res est in ipsius arbitrio posita, quando debitorem morosum interpellare velit. Jam igitur vellem rationem audire, quæ jubeat, ut præcise quis intra annum decimum, aut vicesimum, aut trigessimum, aut quadragesimum, aut etiam centesimum, vel ultra agere debeat, si velit evitare nomen hominis supini & negligentis. Quæ meri arbitrii sunt, de iis nec negligentia, nec diligentia prædicatur, adeoque etiam abstrahendo à lege humana, nulli præscriptioni subjacent.

§. XIII.

*Quin potius
creditorum
posse multis
rationibus e-
vitare incul-
pationem ne-
gligentia.*

Adde, quod creditor possit multas pro se afferre rationes, eum evidenter à negligentia liberantes, si intra longissimum tempus debitum non exegerit, vel etiam eum, ut hominem prudentem commendantes, quod id non nisi post tempus longissimum petierit. Finge, creditorem esse probatione firmissima instructum, debitorem vero semper in eo statu esse, ut & solvere possit, & ad solvendum, si nolit, commode adigi possit. Quis hic creditorem negligentia in exigendo debito commissæ inculparet; id est, quis his circumstantiis positis, eam diligentiam à creditore exigeret, ut quantocius debitum suum exigat? Et quis non potius

potius prudentiam debitoris commendaret, quod, cum alias, si pecunia solveretur, ipsius periculo foret, hoc periculi onus, & onus insuper interesse moræ solvendi relinquat debitori moroso, & sic dolum non bonum debitoris dolo bono, imo optimo, cautissime elidat.

§. XIV.

Finge rursus, creditorem perdidisse chirographum debitoris, post longissimum vero tempus id medium probandi rursus reperiisse, aut debitorem solvere nolentem longissimo tempore esse nimis potentem, aut, etiamsi velit solvere, nimis impotentem, propter paupertatem, postea tamen vel deficere debitoris morosi potentiam, vel solvendi impotentiam, vel auferri debitoris, qui antea non erat solvendo, fortunas, vel etiam creditorem, qui hactenus justo timore potentiam debitoris metuebat, ad æquale, vel majus etiam potentiae fastigium esse evertam: quis non his casibus omnibus iterum vel laudaret prudentiam creditoris, quod hactenus, etiam longissimo tempore, tacerit, vel saltem creditorem à negligentiae imputatione excusaret. Sane stultum est, certe frustraneum, si quis petat impossibilia, & omnium ore inculcatur consilium, non esse litigandum cum potentiore.

*Aut saltem
obtinere ex-
cusationem
ab eadem.*

§. XV.

Adde quod saepe beneficium præstet debitori creditor, si ille promittendum suam solvendi declaret, sed dilationem à creditore petat, ne videlicet bonis cedere cogatur, hic vero ejus desiderio annuens expectet, donec ad meliorem fortunam perveniat, recepturus

*Præmissis se
cessatione in-
terpellatio-
nis benefi-
cium præstes
debitori cre-
ditor.*

rus ibi non solum pecuniam debitam, sed & interesse temporis hactenus indulti. Uti igitur natura beneficii docet, id nemini debere esse damnosum, ita contra naturæ ejusdem repugnat beneficia referre, velle ad classem culparum aut negligentiarum.

§. XVI.

*Creditorem
diutissimo
tempore de-
bita non exi-
gentem, non
credi propte-
rea dereli-
quisse jus
suum.*

Ostendunt vero simul ea, quæ hactenus dicta sunt, in eo maxime differre præscriptionem dominii à præscriptione debitorum pecuniariorum, quod in his non possit allegari derelictio præsumta creditoris. Ubi alter id, quod meum est, possidet cum animo sibi habendi, & ego longissimo tempore nullo modo declaro voluntatem recuperandi, nulla restat ratio, quam, ut dereliquisse præsumar. At debitor pecuniæ moram faciens non detinet rem meam, sed suam. Neque enim corpus debetur, sed quantitas. At hujus non est possessio sed corporis. Quomodo ergo possem id creditæ derelinquere, quod ab altero non possidetur, & ubi per dicta hactenus multæ aliæ rationabiles possunt afferri circumstantiæ, quæ ostendunt, longe alias esse posse intentiones creditorum, tam diu non interpellantium debitores, quam animum derelinquendi.

§. XVII.

*Imo nec de-
bitorem hoc
casu esse pos-
sessoriem ju-
ris alieni.*

Nec est, quod dicas, debitorem, in diuturna mora non solvendi debitum existentem, eo ipso possidere jus creditoris, adeoque hunc, si possessioni huic tam diuturnæ non contradicat, etiam præsumi id dereliquisse. Equidem falsum est, jus creditoris possideri à debitore, solvere nolente. Jus creditoris nihil aliud est, quam facul-

facultas conveniendi reum in civitate actione personali, extra civitatem vi bellica eum adigendi ad satisfactionem. At vero horum utrumque semper salvum manet creditori, non obstante mora debitoris. Certè mora solvendi nullo modo potest appellari invasio juris istius. (c)

§. XVIII.

Quin imo, quamdiu creditor parata habet media *Derelictionis* probandi jus suum, tamdiu possessio juris sui integra *presumptio-* censetur manere & illæsa. Etsi enim jus & medium *nem etiam* probandi non sint eadem, magna tamen inter utrum- *excludit de-* que est connexio. Unde quemadmodum, si creditor *rentio chiro-* debitori chirographum reddat, nec aliam intentionem *graphi & po-* hujus facti exponat, non solum jure Romano, sed & *testas debi-* jure gentium & ex natura humanarum actionum, cen- *tum proban-* setur juri suo renunciasse, & id quasi ad debitorem *di.* transfuisse; ita ex opposito, quamdiu creditor chirographum debitoris detinet, (vel etiam paratus est idoneis testibus intentionem suam probare; nam eadem est ratio,) tamdiu etiam jus suum non censetur dereliquisse, nec etiam invasum id esse à debitore, quamvis moroso, ut contradictione propterea sit opus,

§. XIX.

Suppeditat vero eadem meditatio nunc ratio- *Moderatio* nem, ea quæ hætenus dicta sunt, moderandi, vel limi- *hætenus di-* tan- *torum.*

(c) Vide pluribus illustr. Dn. Coccej. de finibus b. f. in præscriptionibus diff. 1. th. 13. seq. & diff. 2. cap. 4.

(d) So-

randi. Neque enim putandum est, quod ex doctrina hactenus tradita sequatur, ac si nullo unquam tempore finiatur jus crediti, ac si lites in æternum duraturæ & immortales futuræ, ac prætensiones absolutæ nullo unquam tempore sint quieturæ. Tempus, etiam longissimum & immemorabile, etsi non sit modus finiendi perpetuitatem debitorum, sunt tamen alia, quæ in tempore fiunt, eum effectum paritura, præcipue vero deficiens debiti probatio.

§. XX.

Ut non procedant, deficiente probatione debiti.

Etsi enim, ut diximus, jus & juris probatio in se sunt diversissima, tamen nescio quo facto duratio juris à duratione probationis fere dependeat, ita ut hæc intereunte, ipsum jus simul interiisse censeatur. Scilicet hoc est, quod communiter dici solet: Non esse & non apparere in moralibus pro eodem haberi. Sunt jura res incorporales. Horum præsentiam alii non credunt, nisi effectus sentiant in sensus incurrentes, & (si hi effectus ab aliis injusti esse dicantur,) si non ostendatur, qua actione sensibili idem jus ortum fuerit. Uti dominium à possessione, quæ facti sensibilis est, incipit, ita translatio possessionis in alium etiam fit per actus in sensus incurrentes. Origo debitorum personalium vel ex contractu est, vel ex delicto; at delictum & contractus constant actionibus, sensus hominum ferientibus. Tolle actiones illas, aut testimonia de illis, invisibile fiet jus inde ortum. Quæ autem ab hominibus non videntur, habentur ac si nihil essent.

§. XXI.

§. XXI.

Neque hæc procedunt saltem inter privatus, qui ^{Etiã inter eos, qui superiorem non habent.} jura sua coram superiore ventilant, sed & inter eos, qui superiore carent, & suas actiones secundum solum jus naturæ metiuntur. Etsi enim hi non alio medio cogendi debitorem morosum uti possint, quam bello, est tamen bellum sua natura remedium plane extraordinarium, quo deficientibus aliis pacificis mediis utendum est demum. Quid si ad arbitrum provocet adversarius tuus? Sane sunt arbitraria modi finiendi lites, etiam inter principes non inusitati. Hic vero si non probaveris debitum quod petis, quomodo arbiter adversarium ad id solvendum condemnare poterit? Sed & in ipso bello multum interest belligerantium, ut de justitia belli instruantur milites: multum enim hoc provicit ad alacriores eos in pugna reddendos, item ut pervadeantur de justitia belli vicini principes, sive ut allicianur ad fœdera ineunda, sive ut deterreantur à confœderatione cum parte adversa.

§. XXII.

Cum vero probationis omnis sint duo genera, ^{Unde dicitur} vel per testes, vel per instrumenta (d) facile patet, ^{sine durare} quod ^{poterunt, cæ-}

(d) Solet alias quidem a JCTis communiter in comment. ad ^{debita chiro-} tit. ff. de probatione, probatio dividi in artificialem & inarti- ^{grapho debi-} ficialem, & ad hanc solum referri probatio per testes & in- ^{toris confix-} strumenta. Sed inais hæc est doctrina, partim, quod ^{mas.} probatio etiam artificialis, (cujus exemplum satis in arti- ^{ficiale.} ficiale.

ficiales dant: *Peperit; ergo non est virgo*) testes requirat, (ut in data exemplo, quod ea, quæ non fuisse virgo dicitur peperit;) partim quod communiter ea distinctione utentes glossatores, & qui eorum tradita secuti sunt, ignorent, quid veteribus Græcis & Romanis probationes artificiales fuerint, cum Glossatoribus non fuerint cognitæ orationes Græcorum & Latinorum oratorum, vel libri controversiarum Senecæ & Quintiliani, ex quorum lectione nescitur infinitis exemplis, quid sit probatio artificialis, fere nostris Advocatis incognita, quia incognita est fere academiis, cum ii, qui juri operam dant, vitio communi negligant studia humaniora & elegantiora. Porro refertur equidem à nonnullis & juramentum inter species probationum, sed revera probatio non est, sed remedium, quod leges humanæ indulserunt actoribus, ut deficientibus probationibus eo uti liceat. Dico leges humanæ. Nam etsi etiam abstrahendo à legibus humanis id rationi naturali conveniat, ut, si deferente creditore debitor juraverit, hic sit absolvendus, & non amplius videndum sit, an debitum fuerit, sed an juratum sit. Etsi etiam is, qui justam causam habet, haud dubie prudentius agat, si deferente creditore juret, se non debere, quam si incerto alienæ voluntatis arbitrio, aut majori incertitudini eventuum bellicorum, & malis omnia bella necessario concomitantibus causam subijciat; nullo tamen jure in statu naturali quis ad jurandum cogi potest, partim quia ad prudentiam adhibendam nemo in eo statu cogi potest, partim, quia in arbitrio status naturalis solum ista regula attenditur, actore non probante, reum esse absolvendum. At juramenti delatio, ut diximus, non est modus probandi. Adde, quod nec indistincte dici possit, reum juramentum detrectantem, versari in dolo, quia multi homines eo conscientiæ errore vel ea incertitudine laborant, ut etiã in causis justis juramenta detrectent. (e)

quod instrumenta sint durabiliora, quam testimonia viventium. Igitur cum dicitur, quod debita pecuniaria possint post immemorabile etiam tempus exigi, & ultra secula à debito contracto elapso; facile intellectum est, quod ea doctrina regulariter valeat, si debitum possit probari per chirographum debitoris, præprimis (e) si id instrumentum probandi sigilla ejus non solum, sed & testibus eorumque subscriptione & sigillis munitum sit. Hoc vero pereunte, aut justis dubiis orientibus, an sit verum instrumentum, an suppositum, tum, si ea dubia non possint elidi, & veritas instrumenti ostendi, idem est in effectu, ac si debitum fuerit extinctum. (f)

D 2

§. XXIII.

(e) Nam si sola adsit scriptura debitoris absque sigillo, difficile est, reo negante post immemorabile tempus, illam scripturam, aliis impartialibus fidem de veritate scripturæ facere, præprimis cum fraudes falsâ aliis scripta supponendi variis ex rationibus sint frequentissimæ. Nec post immemorabile tempus facile poterit comparatio literarum institui. Imo in statu civili minus tutum esset remedium, diffessionem juratam à reo petendi, cum facile se possint offerre multæ circumstantiæ, ut reus absque dolo diffiteatur, se non credere, eam esse manum debitoris, etsi instrumentum revera sit ab ipso scriptum. At in sigillis, præprimis si plurium testium adhibeantur, non ita facile fraus intervenire potest, & facilius comparatio de veritate sigillorum & probatio, reo ea negante, adhiberi potest.

(f) Fluit ex hoc principio notum effatum Pauli JCa nihil inter*

§. XXIII.

*Contra citius
expirabunt
regulariter
debita per
testes pro-
banda.*

Alia est ratio testimoniorum à viventibus petitorum. Hic enim longe citius deficere potest probatio & vix ultra triginta aut quadraginta annos durare poterit, sæpius longe breviori tempore interibit, five motuis testibus, five non recordantibus eorum, quæ tamdiu ante gesta sunt, five de omnibus circumstantiis negotii testimonium, ut par erat, dicere non valentibus. Quare apud populos scriptura non utentes, vel qui (uti Tacitus de Germanis scribit,) literarum secreta ignorant, exiguus erit perpetuitatis debitorum pecuniariorum usus.

§. XXIV.

*Quid ope-
rentur in
probatione
debitorum
testimonia
mortuorum,*

Unde nunc facile determinari poterit quæstio, quid dicendum, si adsint testimonia mortuorum, puta historicorum, aut etiam ipsorum testium negotio adhibitorum. Etenim si sola adsint, parum probabunt, (g) si accedant testimoniis viventium, aut probationi per-

interesse ipso jure quis actionem non habeat, an ope exceptionis elidatur.

(g) Finge enim historicum memorare principem aliquem ab altero mutuam sumfisse pecuniam, aut territorium alteri vendidisse, fide de pretio habita. Probabitur equidem historici, si modo alias fide dignius fit, testimonio, debitum aliquod adfuisse, non probabitur, (si creditor non habeat chirographum) adhucdum debitum esse. Ubi enim scriptura in usu est, (uti est, si historici rem scriptis consignarunt,) credetur in dubio etiam contractus fuisse scriptura confirmatus, adeoque hac scriptura

per chirographum, non exiguum pondus probationi adjicient, certe creditorum à suspitione suppositi falsi chirographi liberabunt.

§. XXV.

Ut vero hæctenus satis palpabiliter ostensum fuerit, præscriptionem actionum personalium ex jure naturali non descendere, ita jam facile ostendi etiam posset, eam nec juri gentium deberi, si modo mores juris gentium antiquiores haberemus cognitos. Nunc, cum contenti esse cogamur scriptoribus Græces & Latinis, & iis, quæ hi de moribus suæ gentis paulo fufius, de aliis gentibus summatim aut sparsim scripserunt,

Perpetuitatem debitorum pecuniariorum etiam convenire juri gentium.

D 3

runt,

ra apud creditorum non amplius existente, præsumtio orietur, debitum solutione fuisse extinctum, & chirographum aut instrumentum probationis debitori fuisse redditum. Imo etsi res omnino absque scriptura fit gesta, solis testibus, non merebitur tamen plenam fidem testimonium historicorum, aut ipsorum etiam testium confirmatio in scripturam negotii gesti, cum naturalis æquitas postulet, etiam abstrahendo à legibus humanis, ut liceat judici testes interrogare de variis circumstantiis negotii, quod hoc pacto intuitu historicorum & testium mortuorum fieri nequit. Adderem etiam illud quod testimonia talia mortuorum non fit jurata, testi autem non jurato haud esse credendum, nisi jam aliunde satis constaret, juramenta testium non esse ex jure naturæ vel gentium, sed mera inventa juris clericalis, vide Dn. Præfid. *Dissert. de fide juridica cap. 2. §. 61.*

(b) Sit

runt, sufficiet nobis, quod nec apud gentes barbaras, nec apud Græcos quicquam deprehendatur, quod doctrinæ hæcenus traditæ sit adversum. Et quod apud Græcos non fuerit in usu præscriptio debitorum personalium, vel illud argumento est, quod nec apud Romanos jura sua à Græcis petentes olim in usu fuerit, attestante id satis evidentur Justiniano Imperatore, cujus locum supra (b) descripsimus.

§. XXVI.

Atque apud Romanos adhuc in usu ad tempora Imperatoris Constantii, (i) utpote qui e-
fuisse tempo-
re Imperato-
ris Constan-
tii.

Duravit hæc perpetuitas apud Romanos usque am diserto confirmavit. (k) *Annorum*, inquit, XL (l) præscriptio (quam vetustatem (m) leges ac jura nuncu-
pare

(b) *Supra* §. 1. Adde quod jure Digestorum præscriptio 30. annorum fuerit incognita. *Wurms*, lib. 1. c. 45. obs. 9. in fine.

(i) Ita enim legendum esse pro *Constantini* monet Jacobus Gothfr. *ibi in notis* & ostendit pariter legis subscriptio & Gothofredi *Chronolog. cod. Theod.* p. 47. seq.

(k) *Cod. Theod.* l. 2. de long. temp. præscript. lib. 4. tit. 13.

(l) Magnam quidem hic litem movit Doctissimus Cujacius pro XL. XX. substituens; Quod si foret, magna profecto illustratio argumenti, quod tractamus, ei decederet. Sed respondit Cujacio sufficienter Jacobus Gothofredus *add. l. 1. Cod. Theod. T. 1. p. 382.*

(m) Vel hæc vox argumento est, Imperatorem hic non loqui de 20. sed 40. annis. Quis enim 20. annos vetustatem diceret? Dissent. iterum Cujacius *l. 18. obs. 28. per l. 1. §. ult. l. 2. in pr. l. ult. ff. de aqu. & aq. pluv. arc.* sed hæc leges ejus intentionem non probant. Fallitur enim, cum

pare voluerunt) admittenda non est, cum actio personalis intenditur. Quare in presenti & in cæteris causis id potissimum servabit, atque custodiet, nisi jure veteri (n) comprehensum sit, actionem, quæ movetur, propter vetustatem, non deberi. Sed quamvis actio pecunia postulata exceptione temporis non finiatur, iudex tamen debet inspicere, quæ temporis intervalla nullis justis causis existentibus fluxerint, (o)

cum putat vetustatem in l. 1. §. ult. d. i. idem esse ac longam consuetudinem, de qua mox sequitur. Nam in vericulo sane enim non est explicatio verbi *vetustatis*, sed argumentum à simili, assertionem præcedentem de vetustate illustrans. Et ipse Cujacius fateretur, per vetustatem intelligi 40. annos in l. ult. C. de fund. rei priv. Quod autem addit, vetustatem significare annos triginta in l. 11. C. de fund. patr. est iterum petitio principii. Convenientius est, quod Gothofredus adnotavit d. l. vetustatis tempus aliis in locis à Jure Consultis Romanis circumscribi, *cujus memoria non extat l. 2. §. 7. de aq. & aq. pluv. arc. item cujus origo memoriam excessit. l. 3. §. 4. de aqua quotid. & est.*

(n) Patet igitur, quod jam illo tempore quadam actiones in quibusdam casibus vel ob rescripta Principum specialia, vel ob mores diu receptos vetustate i. e. 40. annis exoleverint. Quænam illæ sint, non constat, Gothofredus exempli loco adducit. l. 57. §. 1. de R. N. sed vix videntur Imperatores eo respexisse. Magis convenire videntur leges in nota Præcedente de aqua pluvia & quotidiana adductæ. Ex his juribus specialibus occasionem sumebant quidem Juri extendendi præscriptionem quadragenariam ad omnes actiones personales, quem conatum hic reprimunt Imperatores.

(o) Placet explicatio Gothofredi d. l. licet stricto jure pecunia postu-

Et instrumenti vetustatem, (p) ut diligentias bis consideratis

postulata actio 40. annorum præscriptione non finiatur, tamen si iudex deprehenderit, nullis justis de causis tanti temporis intervalla effluxisse, veluti, quia in eadem civitate debitor versabatur, cujus conveniendi copiam quotidie creditor habuerit, Judicem æstimaturum, quid super hujusmodi actione & chirographo pronunciarı oporteat. Scilicet etfi hæctenus ostensum sit, naturaliter actiones pecuniarias præscriptione vetustatis & immemorialis temporis non tolli, tamen propterea non sequitur, quod reus ejusmodi actionibus conventus præcise condemnari debeat, si ex specialibus aliis circumstantiis appareat, eum esse absolvendum.

(p) Utrum scilicet genuinum sit an falsum. Adde etiam, quod consideranda sint ipsa contenta, quæ prima fronte videntur sæpe continere obligationem, cum tamen re penitus perspecta, longe aliud intendant. Elegans casus est in Beati sententiis judicialibus l. 2. in fine. Petierat Ulrichus à Kuedorf ab Arnolde de Sekendorf summam pecuniæ ex vetusto chirographo Mauriti de Sekendorf. Hujus illa erant contenta: Ich M. v. S. bekenne ic. nachdeme mir T. v. K. 8c. 200. fl. geliehen hat / die ich ihm und alle meine Erben die wiederbezahlung thun soll / mit samt alle Jahr 10. fl. Zins davon ic. dieweil ich aber des Gelds also eilends nothdürftig gewesen bin / derohalben ich dann den genannten T. v. K. um solche 200. um solche 200. fl. keine Verschreibung so kurz habe aufrichten können / aber nichts desto minder gerede ich obgenannter M. v. S. bey meinen wahren und guten trauen für mich und alle meine Erben dem mehrgenannten T. v. K. eine ziemliche Verschreibung und samt der Bürgerschaft nach laut einer Copey / die mir von jetzt ge

ratis ex officio judicantis quid pronuntiari super bujusmodi actionibus oporteat, estimetur.

§. XXVII.

Primus præscriptionis tricennariæ inventor est Imperator Theodosius junior, (9) cujus constitutionem cum repetierit & stylo illius ætatis fastuoso valde commendaverit, tanquam publicæ tranquillitatis promotricem, & improborum litigiorum extirpatri-

Inventio præscriptio- nis tricenna- riæ & vana persuasio æ- quitatis na- turalis.

gedachten T. v. K. zugeschickt wird / ihnen in einen Monat nechst nach datum dieses Briefs verfertigen / und ihme die in seine Gewalt überantworten / des zu wahrer Urkundt habe ich mein eigen Insiegel zu Ende dieser Schrift gedrucket / die geben ist am Mittwoch nach den Sonntag Latare in zehenden Jahr der mindern Zahl. Sed responsum exstat ibidem cum rationibus dubitandi & decidendi, ex hoc chirographo non posse conveniri hæredes scribentis, ad solvendum debitum, quia saltem contineat promissionem dandi solennis chirographi, & quidem intra breve temporis spatium &c.

- (9) *L. un. Cod. Theod. de actionibus certo tempore finiendis l. 4. tit. 14. repetita postea à Justiniano in Codice l. 3. de præscriptionibus 30. vel 40. annorum. Cæterum Cujacio dissentienti, & Theodosium M. Autorem primum præscriptionis tricennariæ facienti l. 18. observ. 26. docte respondit iterum Jacobus Gothofredus ad d. l. un. T. 1. pag. 384. seq. Quare & Alexander Papa. in Capit. vigilianti X. de præscriptionibus 30. annorum Ephesinum legislatorem primum præscriptionis tricennalis Autorem nominatim facit, quo titulo non alium intellexit, quam*

E

Theo.

cem, (r) collegia ejus Valentinianus; (s) mox se aliis etiam commendavit hoc institutum, ut & sibi & aliis persuaderent, acsi præscriptio actionum personalium & debitorum pecuniariorum ipso jure Naturæ niteretur. (t)

§. XXVIII.

Theodosium juniorem, tanquam Ephesini Concilii œcumenici Autorem & promotorem, quod Cujacium d. observ. latuisse mirum. Gothof. d. l. pag. 385.

(r) In verbis: *Boni Principis cum, vel prima vel maxima est, quietem provincialium propitia sollicitus mente tractare, quibus quanto plus fuerit humanitatis impensum, tanto pronius amor devotionis incumbit &c. Jurat igitur juris perpetui &c. vagas aternasque calumnias, & nullo temporum sine conclusas, certis & designatis terminis limitare. Quam nobis necessitatem ferenda legis iusta imposuit quarimonia plurimorum. Quis ferat institui jurgia, que avi & proavi defensio summovebit, si possessorem nec secula in infinitum transacta defendunt &c. Ad quam benevolentiam precipue nos hortata est lex Domini Patris clementia mea Theodosii perennis Augusti, qui virtutum suarum morem secutus, humano generi profunda quiete prospexit, constituens, post 30. annos nulla penitus jurgia, que medio tempore mota non fuerunt, excitari.*

(s) *Novella Valentiani §. post Cod. Theodosi.*

(t) *Lib. 16. leg. Wisigoth. tit. 2. l. 4. Tricennalis transcurso temporum, cum jam sic constanter inoleverit in negotiis actionum, ut non jam quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsarum*

§. XXVIII.

Quamvis autem Canones nunquam hanc hypothese[m] receperint, quod præscriptio tricennaria ex jure Naturæ oriatur, sed sæpe claris verbis indicaverint, quod ejus origo debeatur legibus humanis, (forte ideo, ne cogerentur fateri, etiam res ecclesiæ posse à Laicis hoc tempore præscribi, (x) si ea præscriptio induceretur ex juræ Naturæ) magna tamen ipsi præscriptioni tricennali accessit autoritas, postquam Clerus jam in Concilio Chalcedonensi approbasset eandem saltem inter personas ecclesiasticas. (y)

Cui postea magna auctoritas accessit, cum Jus Canonicum eandem approbasset.

E 2

§. XXIX.

rum processisse natura videatur &c. Cassiodorus lib. 5. Epist. 37. tricennalem præscriptionem vocat humano generi patronam eandemque ipsis Judæis æquo jure (ut Gothofredus ad d. l. un. restituit) servari voluit.

(u) Canon. 6. caus. 16. qv. 3. verbis: Hoc enim & secularium Principum edicta præcipiunt, & præsulorum Romanorum decrevit autoritas. Can. 9. ibid. verbis lex hominum. cap. vigilanti 5. X. de præscript. verbis: Ephesinus legislator primus tricennali præscriptioni vigorem legis imposuit.

(x) Quod diserte negatur cap. causam 7. X. de præscript. Ecclesia tamen active tricennario tempore præscribit contra Laicos can. placuit. 8. c. 16. q. 3. cap. Sanctorum 3. X. de præscript.

(y) Concil. Chalced. c. 17. quod refertur c. 1. C. 16. q. 3. adde can. 2. 34. ibid. Quamvis variæ addendæ sint limi-

§. XXIX.

Secundum principia juris Germanici ignorata fuit prescriptio debitorum pecuniariorum.

Germanos quod attinet, etsi præscriptionem tricennalem in actionibus realibus jam temporibus Carolingorum receperint, (z) ignorarunt tamen præscriptionem hanc intuitu debitorum pecuniariorum, & actionum, personalium eo pertinentium. Nihil certe de ea reperitur, aut in capitulis Regum Francicorum constitutum, aut à collectoribus speculorum Saxonici (a) & Svevici (b) ad

limitationes, præscriptionem illam restringentes, quas expedire hujus loci non est. Vide interim *d. caus. 16. q. 3. § d. tit. X. de prescript.*

(z) *Vide capitul. Ansegisi lib. 5. cap. 389. (ap. Baluz. T. 1. p. 907.) lib. 7. cap. 248. (p. 1077.) & in addit. 4. cap. ult. (p. 1232.)* Posses etiam huc referre *formul. 40. secundum legem Romanam seu Sirmondicam (Tom. II. p. 491.)* modo non ea magis videatur pertinere ad partes Gallie veteris Francorum regni, quam ad Germaniam.

(a) Duo sunt loca speculi Saxonici de præscriptione agentia, nimirum *lib. 1. art. 28. & 29.* Prior: *Was solches Dings erblosß stirbt/ als Zeergewette/ Erb/ oder Gerade/ das soll man antworten dem Richter oder Fronboten/ ob er es heischet nach dem dreyßigsten. Das soll dann der Richter behalten Jahr und Tag unverthan/ und warten/ ob sich niemand darzu ziehen wolte mit Recht. Kommt da niemand/ so lehre es der Richter dar zu seinem Nutz. Es wäre dann/ daß der Erb gefangen wäre/ oder in des*

des Reichs-Dienst gezogen/ oder in Gottesdienst
 außser des Landes/ so muß er sein warten/ mit dem
 Erb/ biß daß er wiederkomme. Dann er kan sich
 an seinen Erbe dieweil nicht verschweigen; das
 ist aber geredt von fahrender Habe. Posterior: An
 Eigen und Erbe (in Saxonico und an Hüffen) mag
 sich der Sachs verschweigen bey dreysig Jahren/
 und Jahr und Tag/ und ehe nicht. Das Reich
 und die Schwaben mögen sich nicht versäumen
 an ihren Erbe/ (non in hereditatibus ut latinus inter-
 pres, sed in proprietate seu allodio, quod opponitur be-
 neficio seu rebus feudalibus, unde consveta distinctio,
 Erbe und Lehn) dieweil Sie es zeugen mögen.
 Dico: plures textus in jure Saxonico de præscriptio-
 ne non extare. Etiam si enim Glossatores ad *ditos ar-*
ticulos 28. & 29. provocent etiam ad alios textus, tan-
 quam de præscriptione rerum mobilium agentes, jam
 tamen erudite ostendit Dn. Schilterus *exerc. ad Pand.*
45. §. 49. & 52. illos textus non de præscriptione, sed
 de possessione legitima, von Rechter Gewähr loqui.
 Unde etiam communis doctrina, quod de Jure Saxo-
 nico res immobiles præscribantur triginta annis, anno
 & die, mobiles vero anno & die, isti erroneæ Glossæ
 originem debet, cum alias verius videatur, Germanis
 veteribus solam intuitu dominii præscriptionem tricen-
 nariam, & insuper anni & diei fuisse in usu, etiam
 intuitu rerum mobilium, (præprimis si in articulo 29.
 loco *an eigen und hüffen* legas, *an eigen und Er-
 be*) & casum *art. 28.* non extendendum esse ultra præ-
 scriptionem rerum mobilium hæreditariarum intuitu
 magistratus loci.

(b) adnotatum, ut adeo fallantur & fallant, qui ex prin-

(b) Svevicus compilator, uti totum speculum Svevicum provinciale exscripsit ex speculo Saxonico, quia nimirum mores Saxonum & Svevorum (i. e. Germanorum in terris regni immediatis, quæ vicariatui Palatino subsunt, & mediatis, quæ Saxonico) tanquam populi olim communibus gaudentis moribus non fuere diversi, nisi intuitu successionis, & appellationum *Spec. Sax. lib. 1. art. 9.* Interim collector speculi Svevici hinc inde jus Romanum, tanquam quod ejus tempore incipiebat Germanis quoque cognitum fieri, immiscuit, aut alio modo etiam mores Germanicos & suo cerebro emendare voluit, etsi parum pertinenter ac sæpe, ut cum principiis alibi positis non cohæreat. Ita etiam hic se gesit. Nam ex *lib. 1. art. 28.* Speculi Saxonici retulit quidem sententiam de præscriptione hæreditariarum rerum à iudice loci intra annum & diem finienda *in lib. 1. cap. 270.* (*edit. Goldasti in Reichsstatuten*) sed inepte tamen addidit, hanc præscriptionem intelligendam esse etiam de rebus immobilibus. Porro ex *art. 29.* Juris Saxonici illum versiculum equidem, quod adversus Svevos nullum habeat locum præscriptio, retulit *in cap. 272.* adeoque antecedentia *art. 29.* de præscriptione Saxonica tricennaria & unius anni omisit, interim tamen ex Jure Romano *cap. 122.* triennalis & *cap. 265.* triennalis, decennalis, & vicennalis præscriptionis fecit mentionem, quod plane non cohæret, cum illo Svevorum antiquo Jure. Sed quicquid hujus sit, patet tamen ex hæctenus dictis, nullam neque Jure Saxonico, neque Svevico mentionem fieri præscriptionis debitorum pecuniario.

principiis Juris patrii hanc præscriptionem deducere fatagunt. (c)

§. XXX.

Postquam tamen Jus Canonicum seculo tertio *Sed eadem* & decimo, & postea seculo decimo quarto cum Aca- *tamen cum* demiiis Jus Justinianicum in Germania florere, atque *Jure Cano-* exinde se in forum insinuare inciperet, non miran- *nico & Justi-* dum, quod etiam præscriptio tricennaria debitorum *niano insi-* pecuniariorum, utpote Jure Justiniano & Canoni- *nuavit se in* co approbata, quamvis adversus principia Juris pa- *fora Ger-* trii, in usu forensi postea fuerit frequentata, præpri- *mania.* mis postquam Glossatores Juris Saxonici sub prætex- tu, quod jus patrium explicare vellent, id potius maxima tortura applicarent ad principia Juris Civilis & Canonici, seu, quod idem est, Jus patrium a Romano utroque toto cælo differens, ex hoc jure diversissimo interpretarentur.

§. XXXI.

mariorum. Imo ex illo jure Svevorum antiquo firmum argumentum sumi potest, quod præscriptio hæc locum non habuerit. Si enim Svevi admitti fuere semper ad vindicanda dominia rerum suarum, nulla præscriptione obstanti, multo magis admitti debuerunt ad condicenda debita pecuniaria.

(c) Autores huc facientes citat Carpzovius *part. 2. consl. 3. defin. 3. conf. Dn. Hopp. in Usu moderno ad pr. inst. de Usucap. in fine.*

(d) Vide

§. XXXI.

*Magis ta-
men quoad
nomen,
quam cum
affectu.*

Nescio tamen, quo fato factum fuerit, ut, cum omnes amore jurium peregrinorum quasi incantati illud juri patrio præferre tentaverint, in hac quæstione Doctores ita fuerint mente quasi alienati, ut dum jura peregrina introducere student, revera manserit in foris Germaniæ praxis Juris Naturæ & Gentium antiqua quod nimirum exceptio præscriptionis quidem opposita fuerit nominatenus petitionibus debitorum pecuniariorum, sed caruerit tamen effectu, i. e. quod re ipsa debita pecuniaria manserint perpetua in Germania. Quod ut melius intelligatur, paucis narranda historia controversiæ de requisito bonæ fidei in præscriptione tricennaria,

§. XXXII.

*Historia con-
troversie de
requisito bo-
næ fidei in
præscriptio-
ne tricen-
nariæ.*

Nimirum, cum Theodosius junior Imperator præscriptionem tricennariam primus introduceret, constat, quod ipse intuitu præscribentis nullam bonam fidem requireret, neque intuitu actionum realium neque intuitu personalium, (d) idque convenienter cum dictamine rectæ rationis, (e) Sed Justiniani Consiliarii initium bonæ fidei, uti re-
qui-

(d) Vide supra §. 28. Wissenbach. ad l. 3. Cod. de præsc. 30. vel 40. annorum.

(e) Nam quoad actiones reales inter privatos sufficit tricennium ad tacitam derelictionem. Ubi vero hæc est, ibi

quirebatur in præscriptione rerum mobilium, & ordinaria longi temporis rerum immobilium, ita etiam id requirebant, ex nova æquitate in præscriptione tricenaria, si quis agere vellet adversus dominum pristinum. (f) Pontifex autem alia addita nova æquitate cerebrina, pietatis pallio velata, jus Civile correxit, in omni præscriptione continuam bonam fidem requirens. (g) Uti vero Pietatis ista fucata & in aliis

F

plu.

ibi non opus bona fide, *vid. super. §. 3. lit. d.* quod actiones vero personales vide mox dicenda §. seq.

(f) *L. 8. Cod. de præscript. 30. annorum, & ibi Wissenbachius.*

(g) *Cap. ult. X. de præscript. Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica quam Civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in ulla temporis parte rei habeat conscientiam alienam. Jam uti pallium fucatæ pietatis, vel ex Apostoli dicto, ita misere, ut clamaret, si posset, contorto, statim apparet; Ita id jamdiu notarunt ante nos Jcti celeberrimi. Johannes Petrus de Ferrariis in Pract. Pap. id judicium de Jure Canonico fert; Nec obstat, quod periculum animæ vertatur, quia ista ratio salva reverentia est multum fatua. Wesenb. ad Schneid. tit. de Usuc. in princ. num. 20, lit. i. Nec ratio, nec decisio illius textus valet; nam quid pertinet huc dictum Apostoli, scilicet æque id intellexerunt, ut hæc jura præscriptionem. Et diutius in hac luce Evangelii patiemur Justitiæ in talibus tricis imponi. Cujacius ad cap. 5. in fine X. de præscript. Hunc locum serva verim.*

pluribus negotiis post reformationem illis Jctis protestantibus, (b) ita & in doctrina præscriptionis communiter ajunt prævalere jus Canonicum, etiam in foro Civili. (i) Insuper aurem alius error factus est communis, quasi scilicet jus Canonicum istam perpetuitatem bonæ fidei requireret in præscriptione tricennaria actionum personalium. (k)

§. XXXIII.

*Qua hypo-
thesi recepta
non datur
amplius ca-
sus, quo, cum
effectu debi-
tis persona-
libus possit
opponi præ-
scriptio.*

Quamvis autem hæc sententia nec Juri Civili conveniat, nec Jure Canonico, cum b. & m. f. possessio tantum prædicetur de re aliena, adeoque plane non quadret ad debiros pecuniæ, (l) ea tamen in praxi

verim, ut probes, quam Cynici & fuscii olim fuerint, quæve imperitia & incuria curiæ Romanæ. Pluribus vide ita referentem, & Juris Civilis tradita contra Jus Canonicum defendentem Illustrem Coccejum in dissert. 1. de finibus bonæ fidei in præscriptionibus de Jure Canonico sect. 1. §. 6. seq.

(b) Huc pertinet tota dissertatio inauguralis sub præsidio Excellentissimi Strykii nostri habita, de reliquiis Sacramenti, in causis matrimonialibus.

(i) George Schultze in *Synopsi instit. ad tit. de Usucap. lit. b.*

(k) Idem *ibid. ad tit. de perpet. & temp. act. lit. a.* Pirhing ad *Jus Canonicum Tom. 1. p. 505.* Valerius *differ. utriusque fori, sub voce præscriptio diff. 2.*

(l) Quod latius pluribus additis probationibus demonstra-
vit.

praxi se sub specie æquitatis ita commendavit JCTis Germaniæ, ut in Camera Imperiali (m) & in aliis judiciis Imperii (n) hodie fere sit communiter recepta, quo pacto re ipsa, ad jura pristina Gentium & antiquæ Germaniæ redierunt, cum hoc intuitu in debitis pecuniariis, quorum initum à creditore ejusve hæredibus probari potest, nunquam potuerit casus existere in quod debitores se potuerint pro bonæ fidei possessoribus, (secundum explicationem illam Canonistarum) gerere, cum primus debitor utique sciverit, se

F 2.

inju-

vit illustris Coccejus *duabus integris Dissertationibus de finibus bonæ fidei in præscriptionibus de Jure Canonico.*

(m) Testantur enim plures JCTi fide dignissimi, in Camera approbari opinionem, quod m. f. possessor nullo unquam tempore præscribat; adeo ut neque statuto vel lege aliqua contrarium induci possit, etiam in actionibus personalibus, quia in materia præscriptionis, in qua de peccato agatur, standum sit juri Canonico, & ejus dispositioni, item quod præscriptio immemorialis excludatur, ubi de initio *contractus* constat, quia tum mala fides impediatur præscriptionem immemorialem, & noceat etiam hæredibus in bona fide existentibus, Andr. Gail. *lib. 2. obs. 18. no. 7. 8. 9. 10.* Wurms. *lib. 1. tit. 45. obs. 4. num. 7.* Mynsing. *obs. sing. cent. 4. obs. 6. n. 4. & 7.* Gylman. *T. IV. simphorem. part. 1. vot. 41. n. 8. & seqq. no. 30. & 34. seq.* Klockius *relat. 65. n. 70. & 235. & relat. 72. n. 80. & 83.*

(n) v. g. In judiciis Saxonis. Schneidevvin. *ad Princ. inffit.*

injuste solutionem debiti denegare, hæres autem non possit præscribere ea, quæ defunctus non potuit præscribere, (o)

§. XXXIV.

Ufus dictorum practicus maxime in controversiis statuum imperii.

Quare, uti vel ex dictis usus practicus meditationis nostræ constat, ita quam maxime se exerit, in controversiis statuum Imperii. Sive enim hi etiam post integra secula debita pecuniaria à constatibus coram Camera repetere velint, non habent, quod timeant exceptionem præscriptionis, sive coram arbitris controversia sit expedienda, ubi ea ex Jure Gentium definiri debet, ob superioritatem & jura belli ac pacis, tuti sunt per hæcenus demonstrata perpetuitate debitorum personalium.

§. XXXV.

Non obstante, quod Principes in contractibus utantur Jure privatorum,

Dico ex Jure Gentium: etsi enim non pauci Jcti putent Principum ac statuum Imperii controversi-

stit. de Ufuc. n. 16. Zobel. in addit. ad text. latinum Landts recht | l. 1. art. 6. sub fine Constitut. Elect. 3. part. 2. ibique Carpzov. def. 7. Consult. Constit. Saxon. T. 1. part. 5. casu 15. fol. 115.

(o) *L. 59. de R. J. S. 2. v. nam si heres & c. instit. de Ufuc. l. 1. n. de divers. & temp. præscrip. vide omnino Dn. Præsid. in Scholiis ad Huberi positiones tit. pro hærede lit. a.*

(p) Dn.

versias dijudicandas esse ex jure Justiniano, vel Canonico, quia in omnium ore est, Principes in contractibus uti jure privatorum, (p) at si hoc verum foret, videretur præjudicium fieri Principibus, post longissima tempora debita petentibus, quia secundum illa jura ex veriore opinione (q) bona fides ad præscriptionem actionum personalium non requiritur, revera tamen objectio ista parum oberit. Nam quod in genere scriptores juris publici controversias Principum ex Corpore Juris definire voluerint, factum est ex erronea, nunc autem explosa, opinione, quasi controversiæ juris publici definiendæ essent ex Jure Justiniano, (r) partim etiam ex alio errore, quod status Imperii pro meris subditis habuerint, quod etiam nunc ex verioribus principiis aliter docetur. (s) Sed ista quidem peculiarem dissertationem desiderant. Quod autem Principes in contractibus utantur jure privato.

(p) Dn. Coccejus *Jur. Publ. Prud. c. 26. S. 1.*

(q) *Per dicta §. 34.*

(r) Nota est controversia Conringii cum Tabore. Sed Conringius tamen vicit, Medicus JCtum. Præprimis postquam Monzambanus palpandum dedit, quam turpe sit, in controversiis Juris Publici febriculosam Juris Civilis scientiam ostentare.

(s) Regnavit illa hypothesis maxime tempore Lutheri, qui adeo & ipse in scriptis de bello ob defensionem religionis suscipiendo, sæpe ex illo principio status Imperii dehortabatur a bello, etiam defensivo.

(t) My-

torum non hoc vult, quod debeant uti jure Justiniano seu Canonico, verum, quod Principes, dum contrahunt, non contrahant ut Principes & superiores, sed ut pares cum paribus, adeoque, etiam si cum subditis contrahant, æque firmiter obligentur ac quilibet privatus. (1) Ut taceam, etiam secundum jura privatorum opinionem de bona fide in præscriptione trienniali necessaria in praxi prævalere. (2)

§. XXXVI.

Neque etiam statibus Imperii propter cessationem administrationis justitiæ posse opponi exceptionem præscriptionis.

Sunt insuper & alia argumenta, unde probare, firmiter possis, statui Imperii à statu non posse opponi exceptionem præscriptionis, etiam si post aliquot secula petat debita pecuniaria, quamcumque etiam alias hypothesein de perpetuitate actionum personalium & de requisito bonæ fidei quis foveat. Scilicet omni jure & Gentium & Civili & Canonico fundatum est, non agere valenti non currere præscriptionem, nec præscriptionem locum habere eo tempore, ubi cessat administratio Justitiæ. At facile ostendi potest, administrationem Justitiæ adversus status potentes in Imperio per aliquot secula perpetuo cessasse, non vitio Imperatorum, sed ex morbo Reipublicæ. Sed ista quidem latius deducere excedit scopum dissertationis nostræ, & peculiarem dispectionem postulat. Quare hic terminus esto.

(1) Myler ab Ehrenbach, *Nomol. cap. 2. §. 3.*

(2) *Per d. §. 34.*

F I N I S.

ia-
on-
es,
ab-
ber
za-
ri-

ni
e-
as
&
re
e-
o-
a-
n
ot
x
x-

OSA 2161


ULB Halle 3
003 782 859



V 17 = 00







B.I.G.

Farbkarte #13

XLV.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

PERPETUITATE DEBITORUM PE- CUNIARIORUM,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO,
AC DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE &c. &c.
IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,
S. REG. MAJ. BORUSS. CONSIL. & PROF. PUBL.

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni
submittit.*

ANDR. GEORGIUS HOFMANNUS,
Norimb.

Ad diem XX, Mart. M. DDC, VI.

H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS SALFELDIANIS.

